





13695
11748
DISPUTATIO INAUGURALIS

24

DE EO,

1689, 2.

Quod Jure Civili Rom.

circa Injuriarum contumeliosarum
vindictam justum est.

Quam

Deo Opt. Max. Propitio ac Præside

Ex Decreto & Auctoritate

Magnifici & Amplissimi, in Illustri ac
Celeberrimâ Argentinensium Universitate,
Jctorum Ordinis.

PRO

Summis in Utrôq; Jure Honori-

bus, Juribus ac Privilegiis Doctoralibus

MORE MAJORUM ritè obtinendis.

Publico ac Solemni Eruditorum Examine

subjecturus

JOANNES BAPTISTA HILDEBRANDT,

Friburgensis Brisgoius.

In Auditorio majori, horis solitis.

Die 17. Mens. Octobr.

A. O. R. cl^o l^o LXXXIX.

ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPPE.

1618.



Inclytæ Reipub. Friburgensis Brisg.
MAGISTRATUI & SENATUI.

*Viris Prænob., Strenuis, Nobilif-
simis, Amplissimis, Consultissimis, multoq;
rerum usu præstantissimis.*

D. Jacobo Fadet.

D. Gabrieli Josepho Preiss, *U. J. D.*

D. Joanni Guilielmo Jäger, *U. J. L.*

Triumviris.

D. Josepho Geiger, *U. J. D. Civita-
tis Syndico.*

D. Francisco August. Preiss, *U. J. D.*
Archigrammateo.

D. Christophoro Schal. D. Jo: Jac. Bentz, *Med. D.*

D. Francisco Gerwig. D. Joanni Georgio Bosch.

D. Christophoro Riehr. D. Josepho Beivand.

D. Ignatio Mejer. D. Francilco Schmid, *J. U. C.*

D. Joanni Georgio Schechtelin, *Senatoribus.*

Cæterisq; D. D. Assessoribus.

PATRIBUS PATRIÆ,

**Dominis, Patronis, & Mæcenatibus meis
Gratiosissimis.**

Prænobiles , Strenui, Nobilissimi,
Amplissimi, Consultissimi
Domini.

S*I nulla Vestra in me potissi-
mum extarent beneficia, jure tamen meam
erga Præpositos observantiam monumento publi-
co testarer, si vero nullus intercederet potestatis
gradus, nihilominus jurisprudentiæ Candidato fa-
cilis ad Consultissimos legum Interpretes pateret
aditus nunc, cum & Clientem alliciat Benignitas,
& civem commoveat Authoritas, & tyronem in-
vitet Vestra in iure dicundo Peritia, quis à me tum
pietatis laudem, tum officii fructum tum doctrinæ
Præsidium queri mirabitur? ego enim in nudâ
Juris commentatione versor, Vos illud ad usum re-
ducitis: ego leges in palæstrâ tuendas suscipio, Vos
illas in foro servandas curatis: ego vix ullum pro-
pono dogma, quod in controversiam vocari non pos-
sit, Vos tot funditis oracula, quot editis Decreta.
Plurimum igitur erit mihi in tutelâ Vestrâ Præsi-
dij, atq; utinam Vobis tantum asferre possem or-
namenti! cupio enim imprimis Eorum Amplitu-
dinem*

dinem illustrare, quibuscum iure civitatis in societatis laudem venio, cupio Vos iudicio deligere, quos nascendi fortunâ sortitus sum Præsides, cupio Eorum gratiam vel maximè demereri, quibuscum mihi perpetuus erit usus ac consuetudo. Verùntamen mihi nihil est antiquius, quàm ut iis animum gratum ac memorem significem, qui pro suâ in pupillos clementiâ adolescentiæ meæ variis fluctibus iactata portum ac præsidium præbuerunt. Sin igitur minus ad referendam, ad prædicandam certe gratiam hos Vobis, Viri Clarissimi, offero studiorum meorum fructus, ut quoniam Vos falsas depulistis criminationes, ego iam non committam, ut verum in me conferatur ingrati animi crimen.

D.D.D.D. V.V.V.V.

Humillimus Cliens

J. Bapt. Hildebrandt,
Friburg. Brisg.





D. O. M. A.

DISPUTATIO INAUGURALIS.

DE EO,

Quod Jure Civili Rom. circa
Injuriarum contumeliosarum vindictam
justum est.

PROOEMIUM.

FXantlatis (Deo Opt. Max. adju-
vante) superioribus septima-
nis, secundum Amplissimi Col-
legij Juridici in hac almâ Ar-
gentoratensi studiorum Uni-
versitate, examinibus solennibus Docto-
ralibus, impetratoque ab Eodem honori-
fico etiam disputationem inauguralem
conscribendi & sine Præsidente publicè ac so-
lenniter habendi Decreto, diu multumq;
mecum deliberavi, quamnam ex vasto tot,
tantarum, ac diversarum materiarum Ju-
ris

A

ris

ris nostri oceano feligerem, consultius foret. Usque demum placuit hæc de Injuriis contumeliosis vindicandis materia: non, quòd activè intenderem perversæ huic calumniantium quorundã iniquitati ansam præbere, id criminandi genus contra innocuos liberiùs & nocentiùs exercendi, sed, ut passivè omnibus id genus activè practicaturis, si non metu pœnæ, propositâ saltem criminis turpitudine ac damno terrorem incuterem, quò minus hoc delicto se implicarent, aut si implicati essent, eodem se decenter exsolvere conarentur, aut ad minus Judicis officio abstraherentur, priusquam odibiles Deo fiant. Rom. 1. v. 30. & fulmine illo: *Maledici regnum Dei non possidebunt.* 1. Corinth. 6. v. 10. tangantur. Quemadmodum autem cura nobis in omnibus negotiis nostris incumbit, ut quodvis inordinatum confusumque evitemus, ita conveniens, duxi, priùs propositæ materiæ ordinem præfigere, quàm illius assertiones & partes citra prælucentem methodi lucem in apertum producere. Totam igitur hanc
Inju-

Injuriarum contumeliosarum vindican-
 darum justitiæ materiam in 4. partes divi-
 si. Quarum. 1. Generalia, an & quid sit In-
 juria & dicatur, & quibus modis comit-
 tatur, tradit. 2. à quibus, & quibus Injuria
 inferatur, adeoque de personis, quæ Inju-
 riam facere pati que possunt, tractat. 3. Mo-
 dum vindicandi, sive actiones & pœnas
 Injuriarum monstrat. 4. Denique mo-
 dum tollendarum Injuriarum subjungit.
 Succinctè quidem, sed, si tibi amice lector
 placuerit, satis benè.

Pars I.

An & Quid sit Injuria, & Quomodo
 inferatur?

THESIS I.

AD hujus Partis disquisitionem antequàm pro-
 grediar, visum mihi præmittere prius & dispi-
 cere illam, quæ à nonnullis hîc omnium pri-
 mùm movetur controversia: *An dentur tales*
injuria contumeliosa, ob quas vindicta concedenda &
inter viros bonos obtineat? Etenim non tantùm inter
 Gentiles jam olim dubitatum fuisse, Historia testa-
 tur: quippe qui persuasum habebant, nihil naturâ
 turpe esse, sed omne contumeliosum solâ & nudâ



constare opinione: aut si omnino tale quid sit, nil tamen, nisi humana quædam opinio & persuasio sit, cui si ad vindictam usque indulgeatur, jam non amplius ira aut fervens impetus maneat, sed in inertem degeneret malitiâ atque injustitiam, quæ, cum in virum bonum non cadit, utpote, qui, quod improbus facit, nunquam sibi ignominiosum putabit, imò magis non putabit, quia conscientia, & virtute suâ nixus tale quid potius despiciet, rejiciet, contemnet, saltem generosè dissimulabit: nè, dum maledici hominis verba custodit, & dicta conqueritur, se ipsum talium reum, hisque dignum facere velle videatur, quibus se indignum vult probare. D. Ambros. 1. offic. 6. Maximè, quòd lingua hominum hinc ab admorso infelici pomo adhuc virulenta; probri & calumniarum sit cupida: Imò cœtera quoque, ita ipsis comparatum (verba sunt Isidori Pelusiot. 2. Epist. 297.) ut quemadmodum canibus quibusdam insitum sine causâ & discrimine latrare, ita quidam reperiantur homines, qui nihil impensius agunt, quàm ut undicunque omnium sermonum aurulas colligant, velaque sua ad calumniandum alios repleant, atque sic cœco impetu vi affectûs indomiti in bonos & immerentes contumeliis vehementiùs invehantur. Hinc arbitrati, cum omnes ab uno Deo facti & ab uno homine orti, hujusque necessitudinis pietate sociemur. l. 3. ff. de I. & I. hominis esse, omnem hominem diligere, & non tantùm nemini inferre injuriam, sed ne illatam quidem vindicare, ut vel hætenus in nobis perfecta sit innocentia, & per hanc adversùs quosvis injurios veræ victoriæ gloria, Exemplo Christi Salvatoris, injurias, quæcunque etiam erunt, potius contemnendo fugere,

fugere, quàm contentendo & vindicando superare.
 Greg. Mag. *Tom. 2. Evang. hom. 18.* cum nemo prudens
 facilè in certamen descendat, in quo victus victorem
 præstat & superat: quid enim si canis te allatrasset, aut
 asinus calcitrasset? Alij econtra, omnem cujuslibet
 injuriæ sive contumeliæ adversus quoscunque vin-
 dictam asseruerunt justam & licitam: ceu quam non
 tantùm ipsa ratio naturalis edoceat & constituat. *d. l.*
3. ff. de I. & I. verùm etiam utilitas publica atque neces-
 sitas eandem maximoperè depostulet & exigat; adeò,
 ut nonnulli vindictam hanc planè publicam volue-
 rint, opinati, Rempublicam meliùs regi & in tranquil-
 litate servati non posse, nisi ubi cuivis civium, tam
 alienæ injuriæ nomine agere, quàm suæ sit solutum.
 Confer. *Exod. 2. v. 11.* Etenim, cum etiam secundùm
 Philosophum *5. Eth. cap. ult.* Iste, qui alteri injuriam
 facit, hoc intendat, ut plus medio habeat; is verò,
 qui patitur, minus: produxerunt hoc ad has conse-
 quentias, quòd injuriæ illatione & detractiõne contu-
 meliosâ non tantùm proximus lædatur, verùm etiam
 concivium æqualitas dirimatur, consequenter salus &
 tranquillitas publica, quæ æqualitate illâ innititur, vio-
 letur & turbetur, quod illa, secundùm quam quisque
 concivium habetur vir bonus, præsumptio tollatur, at-
 que ita non tantùm injuriatus privatus, sed etiam ipsa
 Respublica contra juris præceptum reverà lædatur:
 fama enim non nobis tantùm, verùm etiam proximo
 nostro necessaria est. *Can. nolo. 12. q. 1.* Et quæ ex omni-
 bus hisce elicienda erat conclusio: famam suam atq;
 existimationē, adversus injurios defendere optimo Ju-
 re licere. Et sanè est fama & existimatio cujusque ex
 illis fortunæ bonis, quibus homo in hac mortalitate
 beari

beari potest præcipuum & præstantissimum, ita ut
 etiam amplissimis divitiis potior habeatur. Proverb.
 22. v. 1. Syrac. 41. v. 55. ipsis etiam oculis. DD. vulgò
per l. infamia. 8. C. de Decurion. lib. 10. imò ipsi vitæ non
 tam compar arg. l. 8. §. 2. ff. quod met. caus. l. 9. ff. de ma-
 num. vind. l. 103. ff. de V. S. Gail. 2. obs. 100. n. 6. We-
 sembec. in parat. ff. de his qui not. infam. n. 3. adeò, ut,
 quemadmodum hujus, membrorumque suorum ne-
 mo est Dominus l. 13. ff. ad L. Aquil. Ita quoque nemo
 de famâ suâ statuere potis est l. 15 ff. de condit. inst. quam
 planè & huic quoque præferendâ, satius esse duxerunt
 omninò emori, quàm vitam vivere contumeliosam.
 Et quid calumniis, maximè ad posteros transituris, al-
 terius famæ insidias struere aliud est, quàm sæpè eun-
 dem occidere? Semel; quia, uti dictum ingenuo ho-
 mini tolerabilius vitæ, quàm famæ detrimentum: ite-
 rum; quia ea; quæ ex bonâ antea ctâ vitâ superest me-
 moria exanimatur quasi & interimitur maledicentiâ:
 qui diffamat, jugulat: plusque hætenus in maledictio,
 quàm in manu injuriæ est, cum isto & liberi & hæredes,
 imò & gens & familia periculosè petatur, non vulne-
 ribus, quæ etiam sine cicatrice nonnunquam coeunt
 & obducuntur, sed probris, quæ (tanta est mortalibus
 ingenita invidia) cum maximè oblitterata putes, recru-
 descunt, verba sunt P. Ærodi. 6. rer. judic. 5. cap. 1. Hinc
 famæ æque ac vitæ latissimè patere coepit defensio, &
 violentiarum simul & injuriarum invaluit vindicta, tan-
 toque hæc licentiosius, quantò mortales plerumque
 illatas injurias æquò gravius habent. A. Math. tract.
 de crim. tit. de injur. p. 185. & difficile est in his sibi per-
 petuò imperare. Habet enim, quod negari non pot-
 est, contumelia quendam aculeum, quem nec prudens

ac

ac vir bonus quidem facile dissimulare potest. Cicero. 3. *verrina*. Sic sæva in apertam quasi rabiem verti cœpit vindicta vid. Genes. 34. v. 31. Jud. 12. *fac. l.* 2. §. 24. ff. *de O. I.* Florus. 1. *Histor.* 29. atque sic

— *In vitium libertas excidit & vim
Dignam lege regi.*

Sic inter omnia omnium gentium injuriarum judicia nullum est secundum humani generis in hoc præfertim peccati genere, imbecillitatem æquius & ad pacem tranquillitatemque publicam conservandam melius, simul quoque coercendam talem pertulantiam & linguæ virulentiam justius eo, quod Populus Romanus constituit. Atque utinam hæc justissimè & optimè constituta adhuc hodie omnibus probata essent. Verùm laborat & hoc nostrum (prò dolor!) ævum insanabili isto tam bonos injuriandi & contemnendi, quàm injurias vindicandi, atque sese ulciscendi cacoëthe, tantoque ultro citroque periculosius, quod uti nonnullorum audacia, provocationibus, conflictibus, pugnis, duellis omnem penè disciplinæ publicæ vigorem excutit: ita aliorum versutiloqua malitia, offensionum verba elevando & variè interpretando Judicium hoc ut plurimum eludat. Mihi sanè mali hi mores in virtutis occasionem cessere, ut animum induxerim hac occasione (Juvante DEO) æquum & bonum vindictæ huic asserere & demonstrare, ordine jam supposito. Et quidem omnium primùm ex Parte I. ne quis hic etiam ambiguitate termini *Injuria* sub auctoritate Juris ab asserto hoc periculoso aberret. Etenim notum est etiam ex ipsis primis Juris elementis *Injuria* nomen latè patere, &
tam

tam generaliter quàm specialiter ab Imperatore & Juris Consultis sumi *pr. Inst. de injuriis. l. 1. in princ. ff. eodem. Generaliter* omne id, quod non Jure fit, hoc est, quod non modo Juri & æquitati naturali, sed & civili scriptoque Juri adversatur injuria appellatur, & sic Juri privativè vel contradictoriè opponitur. *Specialiter autem & propriè* ad intentionem meam hîc denotat contumeliam, re, vel verbis alteri illatam (Germanicè ein Schmach) à *contemnendo*; quia nemo, nisi quem contempserit tali injuriâ conspurcabit, ita, ut hanc injuriam non immerito cum addito appellaverit contumeliosam post Vultejum, Borcholt. *cit. princ. Inst. de injur. auctoritate Senecæ lib. 2. de tranquillitate vitæ. c. 11. d. l. 1. ff. eod. l. sed etsi. §. 1. ff. ad L. Aquil. Confer. Magnif. D. D. Rebhan. Colleg. Jurid. h. t. Decanus & Senior. Hodoget. ch. 3. & 4. th. 35. Unde non inepta mihi videtur, sed præ cæteris placet illa injuriæ definitio, quâ dicitur: delictum factis verbisve. in alterius contumeliam commissum. Dico factis verbisve* quæ definitionis particulæ biforem injuriandi modum, quo communiter inferitur, re, scil. & verbis, hisque aut ore tenus prolatis, aut scriptis, inferri solere injuriam, demonstrant. Cùm generaliter omne id, quod quis facit, vel dicit, ut alicui dolorem creet injuriarum nomine contineatur. *l. idem apud. 15. §. 5. 25. & 27. ff. de injur. l. 9. & seq. Cod. eod. Molina. de Inst. commutat. tract. 3. disp. 40. Sylvester in sum. Verb. injuria. n. 1. Binsfeld, in rubr. de injur. & damn. dat part. 1. notab. 4.*

II.

Propriè dicitur *Re* alicui inferri injuria, cùm manus inferuntur violentiæ in ipsum corpus, id est, cùm quis violentis manibus pulsatur, verberatur, fustibus ceditur.

cæditur. §. 1. & 8. *Inst. de injur. l. lex Cornelia. ff. eodem.*
 Sicut autem pulsare sine dolore, ita verberare est cum
 dolore cadere, Interprete Ulpiano in *d. l. lex Cornelia.*
 §. 1. *ff. eod.* præcit. Magnif. D. D. Rebhan. *d. l. th. 36.* vel
 si alicujus domus propria, sive conducta, vi introca-
 tur. *l. qui in domum ff. eod.* quia domus sua cuique tutif-
 simum debet esse asylum. *l. pleriq; 18 l. sed etsi. 21. ff.*
de injus vocand. ita ut in causis pecuniariis seu civili-
 bus nemo ex domo suâ extrahi possit *l. nemo ff. de R. I.*
 vel cum manus ad percutiendum aut verberandum
 præparantur, & jamjam elevantur, instrumentumq;
 ad lædendum admovetur *l. item apud Labeonem §. si*
quis pulsatus ff. de injur. Binsfeld. *d. tr. de injur. & damn.*
dat. notab. 6. Damhoud *in prax. crim. c. 137. n. 2.* Gomez.
variar. resolut. tom. 3. c. 6. n. 3. vestes alicui v. g. pileus,
 tunica, vel pallium conspurcantur, dilacerantur, con-
 vellunturve. *l. 1. §. 1. ff. de extraord. criminib. l. 1. §. hac*
autem verba, ff. de his, qui effud. vel dejec. l. sed est quest. 9.
in princ. ff. de injur. Damhoud. *in praxi crim. d. c. 137. n.*
 1. Quis dubitat, quòd tantò ignominiosius, si priora
 omnia insidiosè fiant?

III.

RE etiam infertur injuria attentatione pudicitia,
 ut si quis honestæ Matronæ aut Virgini pro con-
 venientiâ statûs honestæ vestitæ pudicitiam contra
 bonos mores attentet, vel si quis stupri causâ in ali-
 quam irruat, vel matronæ honestæ aut virgini comi-
 tem saltem abducatur. §. 1. *Inst. de injur. d. l. sed est questio-*
nis. 9. §. ult. ff. eod. Paul. *lib. 5. receptar. sentent. tit. 4.*
 §. *qui puero.* sumptâ nimirum denominatione à po-
 tiori, scilicet conatu, qui in facto consistit, & ex sui na-
 turâ

B

turâ



turâ tantæ est efficacix, ut injuriam hanc nec verba-
lem, nec mixtam, ut ut aliqui id facere intendant, no-
minari permittat. Secus si pudicitia attentetur ma-
tronæ vel virginis in veste meretriciâ deprehensæ:
quia præsumitur quis talis, qualis in habitu aut vestitu
suo reperitur *l. item apud. 15. §. si quis virgines. 15. ff. de
injur. ibique Bartol. unde percutiens Clericum in ha-
bitu laicali incedentem ab injuriâ, quâ clericus aliàs
afficeretur, planè excusatur, si modò illum clericum
esse ignorat. arg. l. si ignorans. 50. ff. locati. c. in audien-
tiâ. 25. de sentent. excommunicat. Bald. in l. si qua per
calumniam. 22. C. de Episcop. & Clericis. Mascard, de pro-
bati. concul. 848. n. 3. & 4.*

IV.

INsuper Realiter infertur injuria, per resignationem
litterarum, atque non tantùm si resignet, sed etiam
si celet litteras. *Wesembec. in parat. ff. tit. de injur. n.
7. verf. litteras resignet. Berlich. conclus. practicab. part.
5. conclus. 59. n. 93. pag. 476. Præsertim autem & ille rea-
liter infert injuriam, qui injustè attentat alteri litem
movere, & sine justâ ac rationabili causâ ipsum in ju-
dicium vocare, ut & ille, qui debitum ab altero re-
poscit, quod non debet, h. e. in judicio, vel extra ju-
dicium denunciât, ut solvat. text. in l. injuriarum actio.
§. 3. d. l. item apud 15. §. si quis libell. 29. & l. si creditor.
19. ff. de injur. Mascad. de probat. vol. 1. conclus. 97. n. 8.
aut qui personam, vel bona alicujus iniquè vel nullo
jure occupat, detinet, vel arreat. arg. l. si creditores.
16. in fine. ff. de privileg. credit. d. l. item apud 15. §. si quis
bona. ff. de injuriis. & l. penult. C. qui bonis credere poss.
Idque tantò certius obtinet, si arrestatio viris nobili-
bus,*

bus, aliisq; in dignitate constitutis, & potentibus mercatoribus imponatur. Joan. de Neviza *consil.* 52. n. 29. Petr. Puckuis *de jure sistendi* c. 18. n. 8. quia bonis & gravibus personis metus infamiae major plerumque solet esse, quàm metus mortis. Nec mirum quòd id ad mercatores extendam. Quia isti non rarò ex solâ promissorum fide, quæ per arrestum turpiter prostituitur diffidentiae, dependent.

V.

ET licet plures autument, injuriarum non teneri, adeòque injuriam nullam inferre illos qui in judicio contra testes excipiendo illis vel crimen vel infamiam objiciunt ut à testimonio repellantur, etiamsi objectum crimen aut infamiam non probent, ex apprehensione, quòd non animo injuriandi crimina vel infamiam objecerint, sed potiùs ad defensionem juris sui, ut adversarium suum ab intentione repellant, nè in causâ succumbant, non, ut testes ob ea infamentur vel puniantur, sicut etiam non puniri dicunt, sed tantùm à testimonio repelli. *l. Lucius ff. de his, qui notant. infam. c. cum dilectus. in fine x. de ordin. cognit.* Castrenf. *in l. fin. n. 4. ff. quod quisq; juris.* Ego tamen ob defectum probationis cum communi Dd. contrarium statuo, ex ratione, quòd ille, qui non probat, quod supponit, adeò etiam excipiendo calumniari videatur *l. 1. C. de advocat. divers. judic.* ita ut injuriarum teneatur *l. si tibi servitutis. 31. C. de liberal. caus.* Gail. *singular. observat. lib. 2. obs. 101. n. 6. & 7.* tantò certius, quia duplicem præsumptionem contra se habet, unam ex ipsis verbis injuriosis, alteram ex defectu probationis, conjunctim ex se tam fortes, ut illam pro priori sententia
B 2
allatam

allatam unicam, quòd nimirum exceptiones illæ ob-
 jectorum criminum aut infamiae non animo injurian-
 di, sed juris sui tuendi gratiâ sint oppositæ, victo-
 riosè ac triumphaliter elidant: Oldrad. *consil.* 53. n. 6.
incip. consuevit dubitari. Bossius *tit. de injur.* n. 21. ubi
 comunem dicit. Etiam si objiciens semiplenè proba-
 verit *arg. l. injuriarum.* 13. §. *si quis per injuriam.* & d. l.
Item apud. 15. §. *si quis libello* 29. ff. *de injur.* Menoch. *de*
arbitrar. judic. quæstion. cent. 4. cas. 321. n. 11. vel affirmet
 saltem & doceat, se à viris fide dignis, vel ex comuni
 famâ percepisse, quòd accusatus crimen objectum per-
 petraverit: quia ad accusationem alterius proflire
 nemo debet, nisi crimen objectum legitime probare
 possit. *l. qui accusare.* 4. C. *de edendo.* *l. fin.* C. *de probation.*
 cum secus si faciat, in præsumptionem doli animiq;
 per consequens injuriandi, se ipsum immergat. *l. 1.* C.
de advocat. divers. judic. c. 2. ibique *Glos. x. de calumn.*
Can. qui crimen. 2. q. 8. c. 1. §. *qui vero.* *de elect. in 6.* Ber-
 lich. *conclus. practicab. part. 5. conclus.* 65. n. 6. Secus, si
 objecta crimina vel infamiam probaverit; quia tunc
 admitto rationem priorem, & confirmo, quòd ne-
 mini faciat injuriam, qui utitur jure suo. *l. nullus ff.*
de R. l. Damhoud. *in prax. criminal.* c. 136. n. 3.

VI.

ECquid si aliquis ab evidentissimè locuplete, opu-
 lento, & pecunioso viro postulet sibi fidejussorem
 dari, annon & hic injuriam realem in tam opulentum
 virum effundat? negativam Juris rationibus magis
 consentaneam Judico. Quantumvis enim ille, à quo
 fidejussor exigitur, sit locuples, adeoque ex se idoneus,
 quia tamen opes & divitiæ sunt fluxæ, caducæ & fra-
 giles,



giles, ut facile evanescere possint, & tunc dives, qui prius fuit, desinat esse solvendo, vitio alteri verti aut injuriandi animo imputari non poterit, si ex consideratione variabilis fortunæ, contra inconstantiam ipsius datis fidejussoribus sibi caveri postulat: quia præsumitur id tantum Juris sui conservandi & majoris securitatis causâ postulare, quod propositum ab injuriandi animo & dolo ipsum planè excusat. *arg. princ. Inst. de fidejussori. l. injuriarum. 13. §. 1. ff. de injur. l. 3. §. is tamen ff. de libero hom. exhibend. l. nullus videtur. 55. ff. de R. I.* Actus enim, qui citrà injuriam explicari potest, in meliorem partem accipi debet, ut ab injuriâ, sicque à delicto remotus sit. *d. l. item apud. 15. §. si commune. 36. ff. de injur.*

VII.

Verbalis injuria fit irrogaturve, quando voce vel dictis, aut scriptis & litteris alicui contumelia infertur, id est, quando evomuntur aut effunduntur contra aliquem ad diffamationem, injuriam, invidiam & dolorem ejus verba contumeliosa, quæ bonis moribus improbantur, ut si quis alterum homicidam, latronem, furem, falsarium, usurarium, spurium, cum legitime natus sit, vocet, vel aliud verbum quoddam objiciat, quo opinio ipsius & existimatio imminuatur, etiam si minando tantum fiat. *repet. l. item apud. 15. §. conviciium. & §. seqq. ff. de injur. l. 3. l. si non convicii. 5. l. qui liberos. 9. & seq. C. eod.* Legitimè enim natus citrà injuriam non potest spurius vel bastardus nomiari. Imò is etiam illationem injuriæ verbalis non effugiet, qui illegitimè quidem natus, sed per rescriptam Principis natalibus restitutum, spurium aut bastardum nominaverit.



verit. Philipp. Dec. *consilior. criminal. varior. Jurisconsultor. tom. 1. consil. 102.* Quod adeò verum est, ut etiam poenam instrumento restitutionis insertam incurrat: quia violans saluum conductum aut securitatem à Principe concessam incidit in crimen læsæ Majestatis *l. 1. §. 1. ibi. in l. 3. §. transfugas. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Limitatur tamen, si restitutionem ignoraverit, quia ex ignorantia contra privilegium alicui concessum peccans non incurrit poenam *l. 3. §. non tantum ff. de incend. ruin. & nauf. l. 40. ff. de pænis. Gail. lib. 2. observ. 48. per totum.* unde nec veritas objecti criminis aut vitii nondum notorii, sive id extra judicium sive in judicio objectum fuerit ab injuria objicientem excusat, nisi interfit Reipublicæ, & ejus utilitas requirat, ut crimen aut vitium objectum manifestetur; ut si quis furis furtum, latronis latrocinium, infamisque alterius infamiam, vel etiam leprosi contagionem in judicio detegat. Talia enim manifestans, non animo injuriandi sed potiùs boni publici causâ id fecisse censetur. *arg. l. eum, qui uocentem. 18. ff. de injuriis. Sylv. verb. injuria n. 4. Fachin. controvers. Jur. lib. 9. c. 10.* Quia interest Reipublicæ hæc vitia nota esse. 1. ut delicta puniantur *l. ita vulneratus. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.* 2. ne incapaces ac infames ad dignitates promoveantur *l. 1. C. de infam.* 3. ut ab hominum communione contagiosi, priùsquam sanos inficiant, separentur. *c. 1. de conjug. leprof.*

VIII.

ECquid, si quis crimen sibi objectum per retorsionem conetur à se remove, anne licitum erit id facere? cùm retorsio sit species, defensionis, defensio autem, ut

ut quæ juris naturalis est, nemini, ne diabolo quidem, deneganda, c. *jus naturale dist. 1. Clement. pastoralis. 2. §. cæterum. de sentent. & re judicat.* Ibiq; Canonistæ comunitè l. 1. §. *arietes. 11. ff. si quadrupes pauperiem. l. nam ita Divus. 39. ff. de adopt. Gail. 2. de pac. publ. c. 12. n. 16.* Indubitè cum Berlichio *pract. conclus. part. 5. conclus. 64. n. 9. pag. 594.* concludo: licitum esse, & quidem omnibus, qui verbali injuriâ sunt affecti, existimationem, famam & honorem suum retorquendo defendere, modò duo sequentia ad retorsionem copulativè observent. 1. ut illam in continenti interponant l. 3. §. *cùm igitur. 9. & l. qui possessionem. 17. ff. de vi & vi armata. l. sed & partus. 12. §. 1. ff. quod met. caus.* ubi tamen sciendum, quod in continenti fieri dicatur, si commodo tempore fiat, id est, quo quis scilicet se injuriatum esse, scivit vel quo occasionem accepit retorquendi. *arg. l. 2. §. confestim autem. 43. ff. ad S. C. Tertyll. l. annus. 6. ff. de calumniat. Dd. in l. ut vim. ff. de I. & I. 2.* ut verbis utantur moderamen inculpatæ tutelæ non excedentibus, adeòque adhibeant verba fidem quidem injuriantis minuentia, sed tantùm mentem eò intendant, ut fidem ipsius pro tuitione sui honoris diminuant, & ideo abstineant à verbis ad vindictam tendentibus. *l. scientium. 45. §. qui cùm aliter. 4. ff. ad L. Aquil. l. si adulterium. 38. §. Imperator. 8. ff. ad L. Jul. de adulter. l. 1.* Ubi Glos. & Dd. *C. unde vi. & l. ut vim. 3. ff. de I. & I.* undè licet injurianti te, v.g. furem nuncupando, reponere mentitam, & simpliciter dicere: tu mentiris, non tamen licitum est, nominantem te furem reciprocè nominare adulterum sicut enim priori casu in provocato animus injuriandi

censetur



cenſetur abeſſe *text. in l. illud. ff. de injur. & l. quæ omnia. §. 1. ff. de procurat. l. libertus. à patrono. ff. de injus vocando.* Ita in poſteriori adēſſe, & injuria per re-
pulſionem quaſi injuriæ cauſæ inferri præſumitur: Animus enim & voluntas maleficia diſtinguunt, & hinc non tam à verbis, quàm potiùs ab animo & & voluntate æſtimanda venit injuria. *l. 1. ff. de injur. Weſembec. in parat. ff. eod. n. 19. propè fin.* Nec enim intereſt, an animus injuriandi verè, ac evidentè, an verò tantùm præſumptivè probetur: quia in defectum probationis evidentis ac veræ ſufficit præſumptiva. *Mench. de præſumpt. lib. 1. paſſim per totum & lib. 3. præſumpt. 141. n. 22.* In vanum igitur laborat & ille, qui cum præviâ proteſtatione contra animum injuriandi, vel etiam propoſitâ honoris reſervatione (*ſalvo honore vel reverentiâ tuâ*) retorquendo auſus fuerit injuriòſè alteri mentitam reponere, vel dicere: *tu mentiris, ſalvo honore aut reverentiâ tuâ*: quia proteſtatio factò contraria nil operatur *per text. in c. cum M. Ferrarienſ. x. de conſtituti. Covar. variar. reſolut. lib. 1. c. 11. n. 3. Gail. lib. 2. obſerv. 101. n. 5. Damhoud. in praxi crim. c. 136. n. 7, & Dd. denique in l. ſi non convicii. C. de injur.*

IX.

EXinde jam anceps inter Practicos agitata huc devolvitur quaſtio: *an retorſio retorſionis ſit licita?* id eſt, an illi, qui retorſionem contra me inſtituit dicendo, me mentitum fuiſſe, occurrere liceat interpoſitâ contrariâ retorſione, & ſic replicando dicere: imò tu mentiris in eo, dum auſus es mihi imponere mentitam? Licitam ajo, ſi fiat ab innocente, ab eo ſcilicet,

scilicet, cui sub specie retorsionis mentita est dicta: Cum enim licita sit ac permiffa defenfio; retorsio autem fit species defenfionis, & ego per eiusmodi mendacii falsam objectionem non minùs afficiar injuriâ, quàm si directè & immediatè, citra omnem retorsionis prætextum mendacii vel alterius criminis insimulatus fuiffem, necessariò sequitur, innocuo mihi replicationem retorsionis, retorsionis retorsionem, tanquàm legitimam honoris & famæ meæ tam temerè licitatæ defenfionem nequaquam esse denegandam. *arg. l. ut vim 13. ff. de I. & I. ubi Dec. & alii l. Iulianus 26. ff. si quis omiff. caus. testament. l. quæ omnia. 25. ff. de Procuratorib. secùs concludo de nocente, ut si quis alteri mentitam dederit cum veritate, puta, quia fortè priùs ipsi intulit injuriam quandam verbalem: ubi enim nulla est offensio, ibi nec defensio potest locum obtinere Franc. Alvarot. consil. 24. incip. Felissius. n. 2. part. 2. consil. crimin. allegans l. milites. ff. de re milit. & alia jura.*

X.

Interim nec ille ab injuria verbali excusandus est, qui non purè, sed sub certâ conditione retorsionem adhibet: v. gr. si dicit: *mentiris, ut fur, & tam diu profure reputaberis, usquedum de crimine objecto me convinceris* (vulgò) *du bleibest ein so gescholtener Mann / so lang und viel / bis du dis oder das jenige auff mich beweisest / oder dich purgiren wirst.* Hæc enim conditio potius puram & simplicem, quàm conditionatam Injuriam sapit; Idque ob triplicem rationem, quarum I. est: quia id, quod indirctè est voluntarium, censetur absolutè voluntarium, & ejusdem speci-

C

ei



ei esse ac volitum seu voluntarium directè, ut docet Less.
*tract. de I. & I. lib. 2. cap. 45. dub. 5. n. 33. v. Etsi enim per
 textum in l. item apud Labeonem 15. §. Prætor ait. 25. ff. h.
 tit. II. quia de jure nemo cogitur invitus agere vel
 accusare l. unic. C. ut nec invitus arg. l. non debet. ubi
 Decius ff. de R. I. III. quia ille, qui ab altero pe-
 tit, ut honestatem vitæ suæ juramento purgationis,
 vel aliâ ratione probet, is eo ipso talem personam
 pro inhonestâ aut impudicâ reputat. & consequenter
 ipsi injuriam infert. tot. tit. x. de purgatione Canonica
 ubi Dd. arg. eorum, quæ tradit Less. d. lib. 2. cap. 29.
 dub. 2. n. 12. l. conditio 100. & l. 120. ff. de V. O. Boccr.
 Class. 3. Disput. 4. thes. 28. lit. D. Conditio enim, cum
 ad præsens refertur, pro purâ habetur, eo præfer-
 tim casu, quando illud, quod conditione imbutur,
 verè ita se habet l. 37. & seq. ff. de reb. credit. l. ult. §. 1.
 ff. de vulg. & pupill. substit. l. etiamsi. 3. §. si tamen. 13. ff.
 de bon. libert. l. 1. §. 8. ff. si quis omis. caus. test. Sic et-
 iam nec ille ab injuriâ verbali se immunem facit, qui
impersonaliter, nullius scilicet quem tangere intentat,
 mentionem faciendo, injuriosa verba protulerit, ut si
 dicat: *quicumque hoc dixerit, mentitur*: dumodo sal-
 tem ex circumstantiis, aut aliis indiciis constet & im-
 plicitè intelligi queat, illam locutionem per se imper-
 sonalem intentionaliter in contumeliam certæ perso-
 næ esse directam. l. lex Cornel. 5. §. si quis librum. ff. de
 injur. l. quod Senatus-Consultum. 6. ff. eodem. Bart. in
 sæpè d. l. Item apud Labeonem. 15. §. cui non. 9. ff. eodem. Bar-
 jard. in Addit. ad Jul. Clar. verb. injuria. n. 13.*

XI.

Cæterum, quia retorsio non caret periculo, cautè adhiberi debet, nè scilicet injuriam repulsurus, injuriam ipse committat, vel alteri inferat. Laudo propterea communem illum retorquendi modum: *Eò remitto hæc verba, undè profluxerunt.* Si verò cuidam solenniùs retorquere lubeat, illum sanè hodie retorquendi modum omnium & tutissimum & utilissimum judico, quo per schedam vel libellum retorsionis ritè conceptum, certum scilicet tam respectu personæ, cui retorquetur, quàm ratione criminis, ob quod retorsio instituitur *l. Prætor edixit. 7. in princ. ff. de injur.* Berlich. *præct. conclus. part. 5. conclus. 64. n. 32. cum seqq. pag. 601.* Eumque clarum & perspicuum, ut injurians vel reus deliberare possit, an cedere, an contendere debeat. *l. 1. ff. de edend. ibique Alexander auth. offeratur. C. de lit. contest. Nov. 53. c. 3.* ubi Dd. Marant. *in tract. de ordine judicior. part. 6. membr. 3. in princ.* in causâ præsertim existimationis, quæ vitæ æquiparatur. *l. justa. 9. ff. de manumiss. vind. l. uti quidem. 8. §. penult. ff. quod met. caus.* Prout etiam, si dolus objiciatur: quia necesse est nominatim exprimi, in quâ re dolus intervenerit, & quomodo. *l. item exigit. 16. ff. de dol. mal.* propriâque denique manu injuriati retorquentis subscriptum, interventu auri & argenti, per Notarium & testes ad id singulariter rogatos & convocatos legitimâ insinuatione expediri & fieri solet, modò & addita sit in libello circumstantia temporis & loci, quo injuria facta est: quia surrogatum induit naturam & qualitates illius, in cujus locum surrogatur. *arg. l. eum. 10. §. qui injuriam. 2. ff. si quis cautionib. in jud. sist. caus. l. si donata.*



36. §. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor. ibique Gothofred. Atqui in confesso est, retorsionem succedere in locum actionis injuriarum, in cujus actionis libello secundum communem Dd. approbatam sententiam exprimi debet locus & tempus, quo injuria irrogata est, l. libellorum. 3. in princ. ff. de accusat. Gail. 1. observ. 64. n. 1. Jul. Clar. recept. sent. l. 5. §. injuria n. 3. Ergo necessum etiam erit, ut in libello retorsionis idipsum observetur, quod adeo quoque illo in casu requiro, quo fortassis retorsio per modum exceptionis tantum, vel defensionis contra objectam injuriam vel crimen reponi solebit. arg. d. l. libellorum. 3. ff. de accusat. Socin. in l. 1. n. 4. vers. quarto inferatur. ff. de except. Hunn. in resolut. ad Treutler. vol. 2. disp. 31. thes. 2. q. 17. pag. 391. & seq. Scilicet de protestatione, quod retorquens defendendi tantum honoris sui causa, & non animo injuriandi retorsionem opponat. Cum enim injuriam provocatus in dubio presumatur omnia, quae post praeviam provocationem facit, non animo offendendi, sed defendendi gratiam facere Bart. & Bald. in l. si ex plagis 52. §. tabernarius. 1. ff. ad L. Aquil. & idem Bald. in l. 1. §. cum arietes. ff. si quadrupes pauper. feciss. dicat. Gandin. in tract. de malefic. sub rubr. de defens. a reo faciend. col. 2. vers. sed ponamus, tu es &c. Ideo protestationem illam superfluum magis quam necessariam judico.

XII.

Quid autem, si statuto aliquo disponatur, ne conviciis lacepsitus retorquendo se defendere queat, anne subsistere id poterit statutum? rationem dubitandi facit Juris naturalis, cui omnis defensio, & per consequens etiam retorsio, cum sit honoris defensio, adscribitur, immu-

immutabilitas. §. *sed naturalia*. 11. *Inst. de l. N. G. & C. §. sed agnationis*. 3. *Inst. de legit. agnat. tutel. c. jus naturale*. dist. 1. l. 1. §. *cum arietes*. 11. ff. *si quad. paup. feciss. dic. l. scientiam*. 45. §. *qui cum aliter* 4. ff. *ad L. Aquil.* quæ per tale statutum subverti videtur. Sed eâ ratione non attentâ intrepidè concludo, interveniente justâ ex causâ, ut si in aliquâ provinciâ vel civitate retorquendi importunitas, frequentia & incommoditas in talem abusum in præjudicium boni publici excreseat, quo litium nullus ferè appareat finis, ejusmodi statutum, quod retorquendi facultatem aufert, comodè sustineri posse. Quia salus publica suprema lex est. *Cic. lib. 2. de legib. l. quod labeo*. 9. ff. *de carbon. edict. c. non debet*. 8. *de consang. & affinit.* ibique *Panormit. n. 3.* Et quia occasio delinquendi, quantum fieri potest, præcidi & amputari debet. *l. illud convenire*. 5. §. 1. ff. *de pact. dotal. l. meminerint*. 6. *Cod. unde vi. c. qualiter*. 17. *de accusat. c. 2. & 3. de concess. præbend. in 6.* neque propterea jus naturale, quod generaliter retorquendi potestatem cuivis offenso concedit, penitus immutatur, aut tollitur, sed tantum declaratur, illud ex speciali & evidenti æquitatis ratione hîc non habere locum, quæ declaratio per legislatores sine dubio fieri potest. *l. manumissiones*. 4. *l. ex hoc jure*. 5. & *seq. ff. de l. & l.* præsertim, quia offenso apertam adhuc viam relinquit ordinariis & legitimis aliis remediis, nempe Magistratûs & Judiciariâ auctoritate, jus suum persequendi, & existimationem & honorem tuendi. *tot. tit. Inst. ff. & C. de injuriis.*

XIII.

Denique verbalis injuria censetur etiam illa esse, quæ scriptis, veluti, pasquillis, libellis famosis, carminibus,

rythmis, cantilenis, aut aliis scripturis ad Contumeliam & Infamiam alicujus conceptis, editis, & promulgatis infertur. §.i. *Inst. de injuriis. l. unica. Cod. de famos. libell. l. lex Cornelia. §. si quis librum ff. eodem. l. item apud. 15. §. generaliter. 27. ff. de injur. l. non figura. 38. ff. de obligat. & action. Farinac. in praxi crim. part. 3. q. 105. n. 4.* Quia scriptura quoad probationem rerum gestarum, quæ sub illâ comprehensæ sunt, semper & perpetuò loqui dicitur. *arg. l. quadam. 9. §. nummularios. 2. ff. de edend. & l. Arriani. Cod. de hereticis.* Ad quæ tamen sciri volo, non illum tantùm reum me velle famosi libelli, qui ipse talem concepit, edidit, & promulgavit, sed & illum me judicare ejusdem participem, qui compositum per alium publicavit, aut etiam, qui casu inventum non supressit, ac corrupit, sed dolosè manifestavit. *d. l. unica. C. de famos. libell. uti etiam illum, qui emi vendivè curavit: d. l. lex Cornelia. §. si quis librum. ff. eod.* *Wesembec. in parat. tit. de injur. n. ult. Binsfeld. in tract. de injur. c. 1. q. 13. conclus. 4* Excipio tamen illum, qui tantùm reperit, non autem publicavit, sed vel in loco, ubi invenit, reliquit, vel ad minus in secreto retinuit. *Binsfeld. d. tract. & c. 1. conclus. 5. per allegat. l. unic. C. de famos. libell.* Deinde sub verbis etiam comprehenduntur signa, gestus & pictura: nam & signis, gestibus & picturâ alteri verbalis injuria infertur, ut si quis utatur veste aut habitu Monachorum in ipsorum contemptum, vel etiam lugubri, aut etiam linguam in alterius irrisionem exerat, aut pingat cornua ad alterius Januam, aut etiam imaginem summi Principis ad ignominiam ipsius portet. *L. item apud. 15. §. gene-*

§. generaliter. & l. vestem. ff. de injur. Molina de Iust. & Iure tract. 3. disp. 4. n. 2. Sylvester. verb. Injuria. n. 2. Binsfeld. de injur. c. 1. not. 6.

Pars II.

A Quibus & Quibus Injuria inferatur, adeoq; de personis, quæ iniuriam inferre & pati possunt.

THESIS XIV.

Generaliter, ut supra quoque ex parte quadam mentionem feci, quicumque quid fecerit aut dixerit, injuriarum tenetur, si modò doli capax sit: quia dolus, animus & propositum injuriandi probari, & per consequens ad hoc, ut injuria propriè dici queat, hæc duo substantiali requisita copulativè concurrere debent in subjecto. 1. animus, sive dolus & 2. ipsa capacitas doli. *l. 3. §. 1. & seq. l. 15. §. 25. ff. de injur. l. 5. 9. & 10. C. eod. Gail. 2. observ. 106. n. 1. Mascard. de probat. conclus. 902. n. 6. vol. 2.* unde furiosi & impuberes, quia voluntate carent, & ideò doli incapaces sunt. *l. 3. §. 1. l. 40. ff. de R. I. l. 12. C. ad l. Cornel. de siccar. injuriam quidem pati, inferre autem non possunt, quibus assimilantur dormientes, & in somno, ut subinde videre est, circumvagantes. l. 1. C. ad l. Cornel. de siccar. l. 1. §. 3. ff. de acqui. rend. poss. Clement. unic. de homicid. nam & hi à potentiâ injuriæ activæ eximuntur, nisi habeant consuetudinem*
 fut-

furgendi, & alios lædendi vel offendendi: quia hoc casu ob præcedentem culpam arbitrariè puniri debent. *arg. l. 27. §. 9. l. 31. ff. ad L. Aquil.* sic etiam eximuntur aut excusantur ab injuriâ activâ, qui errore ducti quid faciunt aut dicunt *l. 3. §. 4. ff. de injuriis. l. 23. §. 2. ff. de Ædilit. edict. l. 9. §. 5. ff. de jur. & fact. ignorant. facti nimirum non juris. l. 2. ff. eodem. l. 11. §. fin. ff. de his, qui not. infam.* Tantò magis & illi, qui necessitate ducuntur. Hinc, quod Juris aut Magistratûs auctoritate ex officio & potestate, nocenti evenit etiamsi ignominiosum sit ipsi, regulariter injuria dici non potest. *l. 167. ff. de R. I. l. 13. §. 6. l. 33. ff. de injuriis. c. qui peccat. 23. q. 4.* *Glos. in c. locupletar. de R. I. in 6.* non enim facit injuriam, qui jure publico utitur: quia executio Juris non continet injuriam. *Freher. de existimatione. lib. 2. c. 9. n. 9. & seq. d. l. 13. §. 1. ff. de injur.* *Damhoud. in prax. crim. c. 137. n. 13.* Dixi autem expressè, *regulariter*: quia si dolus & propositum in Magistratu deprehenderetur, (sicut pro ipso semper militat præsumptio, quòd videlicet rectè & justâ ratione, & nequiquam Injuriarum causâ, fecerit ea, quæ fecit. *l. 2. ibi quem si Iudex, quod non arbitramur, minus audire maluerit C. de offic. Civil. Iudic. d. l. 13. §. 1. ff. de injur. c. sicut nobis. 16. in fine de sent. & re judicat.* ita ut in dubio contrà ipsum nunquam præsumatur dolus. *Cardin. Tusc. tom. 3. verb. Injuria. con. 151. n. 1. & seqq.)* & ipse injuriarum conveniri possit. *l. quemadmodum. §. 7. ff. ad L. Aquil. l. nec Magistratus ff. de injur. Gail. 2. obs. 110. n. 40.*

XV.

Sic etiamsi Pater filium, Magister discipulum, Dominus famulum, Agnatus agnatum verbis injuriam præse-

præferentibus objurget aut vituperet, non tamen censenda erit talis objurgatio aut vituperatio injuria seu injuriosa, sed potius corrigendi animo facta: quia in illis ratio sanguinis & affectionis tollit præsumptionem injuriæ faciendæ. *l. unic. C. de Emendat. propinquorum l. 7. §. præterea ff. de Injur. Gail. 2. observ. 106 n. 6. nisi atrocem fecerint. d. l. 7. §. sed & si quis eod.* Quamvis & hæc lex illis in tantum indulgeat, ut etiam hoc ultimo casu deprehensæ atrocis injuriæ nolit ipsos gravari ordinariâ legis actione, nedum graviore, sed extraordinariâ tantum & mitiori. Unde etiam in dubio, ubi nimirum vel ex circumstantiis vel aliâ contrariâ, non tamen sufficienti probatione, de animo infamandi probabiliter dubitatur, Judex ipsis Juramentum purgationis deferre potest ad effectum, ut jurejurando se purgent, & ostendant, animum injuriandi non habuisse. *l. 5. §. 8. ff. de injur. l. 18. Cod. eod. l. 6. §. 4. Cod. de his, qui ad Eccles. confug. c. fin. X. de jurejurand.* quo facta & præstito absolvuntur, quantumvis aliàs regulariter animum injuriandi sub jurejurando deneganti fides nulla adhiberi, sed in vicem potius contra negativam ipsius in dubio præsumi soleat. *Jul. Clar. recept. sentent. lib. 5. §. injuria n. 12.*

XVI.

AD Jocum quod attinet, vel etiam quoad Lusum involuntarium, Ebrietatem & Iracundiam, etiamsi fortassis per priores duos vel alterutrum vel aliàs invitus quis alterum offenderit, aut læserit, non tamen perinde mox censeri poterit injuria. *arg. l. 3. §. ult. ff. de oblig. & actio, l. 4. ff. eod. Bartol.*

D

tol.

tol. Blarer. *in tract. suo super l. diffamari. c. 1. n. 13. C. de ingen. man.* Freher. *de Exstimat. lib. 2. c. 9. n. 7.* quia defectus doli vel calumniandi animi defectum quoque calumniae inducit. *l. si non convicij ff. de injur. l. illud. ff. eodem.* Damhoud. *in prax. crimin. c. 136. n. 9.* Aliter se res habet in verbis indifferentibus: Ex his enim probatio rejicitur in actorem *l. 96. l. 168. ff. de R. 1.* Et licet de ebrio DD. communiter asserant, ebrietatem ipsum excusare à poena ordinariâ quantumvis gravis criminis. Andr. Tyraquell. *de pœnis temperand. caus. 6. n. 1. & seqq.* Hipolyt. de Marsil. *in l. 1. n. 63. ff. ad l. Cornel. de Siccis.* Attamen de Ebrietate tantum immodicâ id accipi velim, quâ obrutus non dolosè delinquere, & ob mentis alienationem nec velle, nec consentire dicitur *c. si concupiscentia. 15. q. 1.* quin potius dementi ac furioso æquiparatur, cujus nulla est voluntas *l. furiosi. ff. de R. 1.* ubi Cagnol. & Dec. At modica ebrietas, in quâ nec mentis alienatio, nec oblitio, sed integritas sensuum & rationis deprehenditur, minimè liberat delinquentem à poenâ criminis ordinariâ, quia tum dolo malo crimen admiffum præsumitur secundum Baldum *in l. datâ operâ. 11. n. 6. Cod. de his qui accus. non poss.* Tyraquell. *d. caus. 6. in fine.* Sic etiam poena non minuitur illi, qui ex vitioso habitu se inebriandi, quo ebriosus vocatur deliquit, etiamsi summè & usque ad alienationem mentis inebriatus fuerit, præsertim si consueverit esse rixosus, & illam pravam consuetudinem suam non ignoret: quia ut sic Ebrietas ad casum destinata præsumitur Gail. *2. observ. 27. 28. & 29.* sed illi solummodò, qui summè inebriatus est casualiter tantum, &

& qui vini virtutem ac vim ignoravit. Unde si dubitetur an summè ebrius injuriam punibilem committat. Distinguendum aio inter ebrium ebriosum & ebrium casuale. Illum enim, præsertim si ex consuetudine rixosus sit, & talem se sciat, ob destinatam ad casum Ebrietatem graviùs, hunc propter ignorantiam vis & efficacix vini mitiùs puniendum affirmo. *l. perspiciendum. II. §. delinquunt. ff. de pænis. l. unic. C. si quis Imperat. maledix. c. sanè 15. q. 1. c. à crapulâ. De vita & honest. Cleric. quia cessante dolo cessat delicti qualitas l. divus. ff. ad l. Cornel. de Sicar. Damhoud. in prax. crim. c. 137. n. 12. vers. potatores quoque. De Irato vel iracundiæ calore percito non multis decisio indiget: quia calor iracundiæ non excusat illum, qui fuit Causa vel auctor rixæ. Odofred. in l. quoniam multa facinora C. ad l. Iuliam de vi publ. quem sequitur. Wesembec. consil. 19. n. 48. unde is, qui alteri primò injuriam sive verbis sive facto infert, si vicissim ab illo injuriâ afficiatur, hanc injuriam magis à seipso quàm ab adversario accepisse intelligitur. Hippolyt. de Marsil. consil. 68. n. 12. allegans ad hoc dictum illud Panormit. in c. clerici. in princ. de vit. & honest. cleric. quòd aggressor mortuus ab aggresso, magis videatur ex se ipso mortuus, quàm ab aggresso: quia Causam damni dans damnum ipsum dedisse videtur, & damnum quod quisque suâ culpâ sentit, sibi & non aliis imputare debet. l. quod quis 203. ff. de R. I.*

XVII.

CÆterùm Injuriam patimur non tantùm in nobis, sed etiam per consequentiam in aliis *l. Item apud Labeonem. 15. ff. de injuriis. §. 1. §. sed etsi Inst. eodem. ut 1. parens in liberis. l. 1. §. 3. l. pater. 14. h. t. l.*

D 2

filius

*filiusfamilias. 9. ff. de obligat. & action. l. in persona. 30. ff. de pactis. in tantum, ut remittente etiam filio injuriam, pater vindicationem tamen sibi reservare possit. text. in l. 1. §. usque adeo. ff. de injur. 2. Maritus in uxore vel etiam sponsus in sponsa d. l. Item apud Labeonem. 15. §. sponsum quoque ff. de injur. Non tamen vicissim etiam uxor vel sponsa injuriā marito vel sponso illatam sentit, quia uxores à viris, non econtra viri ab uxoribus defenduntur. §. 2. Inst. de injur. l. 2. ff. eod. Sylvest. verb. injuria n. 8. Secus si convicium Marito factum tangat & lædat etiam uxoris famam ut si meretricis maritus vocaretur, vel si maritus injustè, violenter & turpiter sit suspensus, vel alio mortis genere necatus, aut servituti subjectus fuerit, aut si à patrono injuriā sit affectus. His enim casibus & ipsa uxor jus agendi habet, & non tam mariti, quàm propriam injuriam persequi & vindicare dicitur. Faber. Angel. & Schneidevv. ad §. 14. Inst. de injur. Mundius in tract. de diffamationib. c. 4. n. 13. & seqq. pag. 109. l. non solum. II. §. plane. 8. ff. de Injur. Henric. Goeden. consil. 102. n. 8. & seqq. Gilhaus. in Comment. de Injuriis. §. 7. n. 42. & seqq. 3. Dominus in servis, nunc famulis, ministris. d. l. Item apud Labeonem. 15. §. prætor ait. ff. de injur. & §. Servis. Inst. eodem. tum nimirum, ubi atrocius aliquid, aut quod ad ignominiam Domini apertè vergat, passi sunt, puta, in carcerem conjecti aut aliā ignominia reali in tantum afflicti, ut Dominus ipsorum operâ comodè uti non possit, ut pulchrè Molina de Iust. & Iure tract. 3. disput. 42. n. 6. Sylvest. verb. injuria. n. 8. Wesembec. in parat. tit. de injuriis. n. 6. Quinimò injuria uni ex consanguineis facta
omni-*

omnibus aliis consanguineis etiam ultra quartum gradum illata censetur. Undè filius pro injuria parenti, alij consanguinei pro injuria uni consanguineorum illata non quidem civiliter ad privatum suum commodum, sed criminaliter ad vindictam scilicet seu poenam fisco luendam, applicandamque agere possunt. Menoch. *de arbitrar. iudic. questionib. lib. 2. Cent. 3. cas. 262.* Georg. Eberhardi. *Vol. 1. consil. 40. n. 11. cum multis seqq.* Wesembec. *in parat. ff. tit. de injur. n. 6.* Etiam si fortassis ipse injuriam directè passus vel ante, vel post accusationem cum offendente transegerit vel injuriam remiserit Maranta *in spec. aur. part. 6. in princ. n. 58.* Everhardi. *d. consil. 40. n. 26.* Ex hâc unâ ratione: quòd Injuria uni ex consanguinitate facta censeatur omnibus de suâ cognatione facta. *l. lex Cornelia. 5. ff. de injur. l. unic. in princ. Cod. de raptu Virg. & ibi Bart. col. 2.* Abbas *in c. cum oporteat. 19. de accusat. col. 2.* nec proderit accusato dicere, se habere à directè & principaliter offenso remissionem, quia iste agnatus venit pro injuriâ propriâ. Bald. *in l. transigere. 18. Cod. de transaction. col. fin.* Bart. *in l. si quis actionem. ff. de privat. delict.*

XVIII.

AD extremum in hâc parte non omittendum videtur, non solum personas singulas, sed etiam Municipium, Universitatem, Collegium, vel Senatium injuriam pati, & injuriarum agere posse, *ut respondit. Modest. Pistor. consil. 26. n. 44. & seqq. Vol. 1. eumq. secutus. Halbritt. in tract. de injuriis & famos. libell. c. 3. propè fin. arg. l. eum quo. §. fin. ff. de injur.* Ubi ille, qui filiofam. infert injuriam creditur cuivis patri injuriam facere voluisse, etiam si ignoraverit, quis

D 3

illius

illius filiifam. à se injuriati pater fuerit, Eâdem ergò ratione & ille, qui Universitatem, Collegium vel Senatum injuriâ ausit afficere, quantumvis omnes & singulos Senatores non noverit, omnibus tamen etiam ignotis, & quicumque illi sunt injuriam facere intendisse præsumitur. Ratio est: quia Municipium, Universitas, Collegium, vel Senatus vice fungitur certæ personæ & fictione sive interpretatione Juris pro certâ habetur persona. *l. mortuo. 22. ff. de fidejussor.* Interim autem, quamvis injuria Municipio, Universitati, Collegio, vel Senatui illata sit, vindicatio tamen illius injuriæ non competit singulis, sed ipsi tantum Municipio, Universitati, Collegio, vel Senatui *arg. l. sicut. 7. §. 1. ff. quod cujusq. Univers.* à paritate scilicet ejus, quod Universitati, Collegio, ac Senatui etiam si debeatur non tamen perinde etiam singulis de Universitate vel Collegio debetur, & per consequens etiam non per singulos, sed tantum per Universitatem, Senatum, aut Collegium peti potest, id, quod confirmatur quoque *l. in tantum. 6. §. 1. ff. de rer. divis. §. Universitatis. 6. Inst. eodem.* Jo. Bender. *in tract. de Revis. conclus. 4. n. 68.* Econtra verò nec Municipio, Universitati, Collegio, & Senatui vel Magistratui ex injuriâ subdito vel Civi impositâ actio Injuriarum quæritur: tum, quia ex actibus & negotiis non nobiscum gestis nulla nobis acquiritur obligatio. *l. quæcunq. 11. ff. de oblig. & act.* tum, quia nemo in aliena Causa vel lite idoneus defensor absque satisfatione existimatur. *l. qui proprio. 46. §. qui alium ff. de procurat. l. Item ait Prætor. 21 §. ult. ff. ex quib. Caus. major. l. recte. 63. ff. de Judic. & l. in eo, quod plus. 110. §. 1. ff. de R. l. Nisi Injuria subdito vel Civi illata in contumeliam*

liam ipsius Universitatis, Municipij, Collegij, vel Magistratûs directa ostendatur. Hoc enim Casu Magistratus aut Senatus tanquàm per se injuriâ affectus proprio suo nomine experiri poterit. *arg. text l. Item apud Labeonem. 15. §. si quis sic fecit. 35. & penult. ff. de injur. §. sed si libero. Inst. eodem.* Quod idem dicendum de Ecclesia, vel Monasterio, si Clericus vel Monachus sit injuriam passus. *per text. in c. cum desideres. X. de sentent. Excommunicat. Gomez. variar. resolut. tom. 3. c. II. n. 2.*

PARS III.

De Modis Vindicandi Injurias, ubi de Actionibus & Pœnis illarum.

THESIS. XIX.

POSTquam variæ illæ pœnæ LL. 12. Tabb. in defuetudinem abierunt, de jure Civili pro quacunque injuriâ vel civiliter vel criminaliter, *text. in §. in summa Inst. de injuriis l. 6. & l. 7. §. 6. ff. eodem. l. unica Cod. quando civilis actio crim. præjudicet.* hodie etiam ad Palinodiarum, agi potest. *vid. O. Cam. p. 2. t. 28. §. und sonderlich sehen.* Civiliter, quoties actor læsus agit ad æstimationem Injurix, sibi que pœnam applicari petit, & hoc casu actio injuriarum in tantum datur, in quantum injuriam passus illam in animum revocaverit vel æstimaverit, ut si dicat in libello: se malle tot aureos amittere, quâ talem Injuriam pati, ita tamen, ut actor suam æstimationem judicis moderationi committat, & desuper juramento conservet, se taxatam pecuniæ summam ex patrimonio suo mallo amittere, quam illatam injuriam pati;



pati; quo facto iudex tanti vel minoris prout ei visum fuerit, reum condemnabit, deducendo rationem condemnandi ex adhibitâ prius diligente & accuratâ consideratione qualitatis facti sive injuriæ, quæ admittitur, & dignitatis personæ, cui immittitur, aliarumque occurrentium circumstantiarum. Ex simili enim consideratione, ut pro requisito Juris observetur proportio inter pœnam & delictum. *l. perspicuendum. II. & l. aut facta. 16. de pœnis c. quæstio. 2. in fin. X. de his, quæ fiunt à Major. part. Can. non afferamus 21. Caus. 24. q. 1. vel augetur, vel minuitur pœna. text. in §. pœna. Inst. de injur. l. Item apud. labeonem 15. §. Prætor. 44. ff. eod.* Quod si injuriam passus ad moderationem Judicis, eò, quòd minus suâ æstimatione taxaverit, Juramentum præstare recuset, Iudex ipsi præstationem juramenti sub cominatione absolutoriæ sententiæ per interlocutoriam injungere potest. *Molin. de Iust. & l. tract. 3. disput. 40. n. 8. Gail. 2. observ. 102. n. II. Criminaliter* verò agitur, quando injuriatus sive actor vel intendit pœnam corporalem, vel pecuniariam Fisco aut ærario puplico applicandam *l. fin. ff. de injur.* *Molin. d. tract. 3. disput. 40. n. 7. Gomez. variar. resolut. tom. 3. c. de injur. n. 7.* Et quia utraque ad vindictam tendit, ideo simul intentari nequeunt: Nec permissum est injuriato, unâ intentatâ, illam relinquere & alteram intentare, *text. in d. l. unic. Cod. quando civilis actio crimin. præjud. l. Prætor edixit. §. si dicatur. ff. de injur.* *Covar. variar. resolut. lib. 2. c. 20. n. 7. Marant. in spec. aur. part. 4. dist. 4. n. 5.* Interim autem actio ad Interesse (qualis est actio ad Palindiam vel reclamationem, vulgò auff ein öffentlichen Widerruf. de quâ initio quoque thesis dictum est) ut est

ut est actio ex L. Aquilia ad Interesse, Damni, Expen-
 farum, sumptuum factorum, Item actio ad interesse
 lucri cessantis, vel ad æstimationem operarum, qui-
 bus injuriâ reali affectus, vulneratus caret, aut cari-
 turus est, præsertim si tam debilis membrorum sit effe-
 ctus, vel læsus, ut officium aliquod, quo nutritionem
 lucretur, exercere non amplius possit, æstimatione
 & arbitrio Judicis facienda, quid reus ipsi annuatim
 solvere debeat. Azo. *in summa Inst. de obligat. quæ ex
 quas. delict. nascunt.* cum actione Injuriarum crimi-
 naliter intentatâ cumulari & simul institui non pro-
 hibentur. Gail. *1. obser. 65. n. 5.* Mynsig. *cent. 1. obs. 25.
 & cent. 2. obs. 98.* Molina. *de Inst. & Jur. tract. 5. disput.
 40. n. 9.*

XX.

PRæter Memoratum remedium ordinariæ scilicet
 actionis injuriarum, vel civiliter vel criminaliter
 adhibendum, Jura injuriato duo alia diversa conce-
 dunt, Retorsionem nimirum, de qua supra jam
 actum, & actionem ex l. *Diffamari Cod. de ingenuis
 manum. de quâ fuse* Gail. *1. obser. 9. 10. II. & 12.* & Bar-
 tholom. Blarer. *tract. super l. diffamari.* Ego breviter
 ad istud remedium notari velim, illud frequenter in
 usu esse, locumque de jure communi habere in omni
 genere Causarum Civilium & Criminalium. Anto.
 Gomez. *Variar. resolut. lib. 3. c. 1 n. 18.* Boër. *Decis. 255.
 n. 1. incip. & circa primum.* Adeoque non solum in
 actionibus personalibus, sed etiam realibus, Itemque
 in petitorio & possessorio, & delictis obtinere. Anton.
 Gabr. *lib. 2. tit. de action. conclus. 6. n. 2. cum seq.* hoc
 tamen observatu notabilissimum habere, quòd non
 tam super delicto sive criminaliter, quàm super de-
 bito,

E

bito,

bito, id est, civiliter diffamatus in illo suum, id est diffamati (quia diffamator in causâ principali actoris partes invitus sustinere cogitur *l. unie. Cod. ut nemo invitus*) non ipsius diffamantis Judicem adeat, petatque diffamantem tanquàm actorem ad injuriam vel debitum probandum ad forum suum (ut verum maneat, quòd actor debeat sequi forum rei, per-vulgatâ) citari: quæ quidem citatio, etsi à Judice incompetente emittatur, adeoque citatum contumacem non efficiat in effectum, ut tanquàm contumax puniatur, attamen reiterata & sic secunda citatio hoc efficit, ut diffamante non comparente diffamatus absolvatur, & diffamanti perpetuum silentium imponatur *Gail. cit. lib. 1. obs. 9. cum seqq. & Blarer. cit. ipsius tract. super l. diffamari.*

XXI.

Dixi præcedenti Thesi XIX. poenam ordinariam injuriarum, prout Judici ex adhibitâ consideratione facti, & qualitatis personæ tam Injuriantis quàm Injuriati visum fuerit, vel augeri vel minui posse, ut pro requisito Juris observetur, proportio poenæ ad delictum. Nunc hic subjungo, poenam plerumq; augeri, si injuria sit atrox, quod fit. 4. modis 1. ex ipso facto, ut si quis fustibus cæsus sit. 2. ex loco admissæ injuriæ, ut si in foro, vel in conspectu Prætoris Injuria sit facta. 3. Ex persona, ut si quis Judicem vel Magistratum Injuriâ affecerit. 4. Ex loco vulneris, ut si quis in oculo percussus esset, proportionari autem vel commensurari delicto debere non quoad Materiam, sed quoad culpam: adeo, ut Judex in parte hâc arbitrium suum, pro delicti atrocitate, & circumstantiis aggravantibus usq; ad mortem naturalem extendere pos-

possit, per allegatum tritum illud axioma, quòd pœna commensurari delicto, sive pœnæ & culpæ inter se proportio esse debeat. *l. perspicendum. ii. l. aut facta. 16. ff. de pœnis. & per l. 2. in verb. commotione severissimâ prout tua Celsitudo judicaverit. & paulò post in verb. accerrimâ condemnatione, pro arbitrio & c. C. de his qui latrones & c.* Ubi constitutum est, pœnam suscipientium & occultantium latrones arbitrariam esse & extendi usque ad severissimam & acerrimam, adeoque mortis pœnam *arg. l. capital. 28. in princ. ff. de pœnis. l. 1. Cod. de seditiosis* quod etiam confirmat communis calculo recepta *Gloss. in §. in summâ sciendum. 10. super verb. extraord. Inst. de Injur. Ibiq; DD. & Constit. Caroli V. art. 112. & 113. ubi cautum reperitur, pœnam falsi extraordinariam pro qualitate sceleris, interdum ad mortem usq; protrahi posse.* Atqui in dubium nemo facilè trahet injuriam ratione personæ, cui & à quâ infertur, ratione loci, in quo infertur, & ratione temporis, aliarumque circumstantiarum tam gravem & atrocem fieri, ut pœnam capitis vel ultimum supplicium mereatur, ut videmus exemplum in eo, qui Judici vel Magistratui suo ex privatâ inimicitâ colaphum impegit vel aliàs ipsum percussit. *Bald. in c. 1. §. cujus. de pac. tenend. inter subd. Damhoud. in prax. crim. c. 137. n. 18. Marant. disp. 3. quest. legal. n. 17. Menoch. de arbit. Iudic. quest. lib. 2. Cent. 3. cas. 263. n. 6. & 15.* Ergò nec dubitari potest, quòd pœna etiam pro qualitate injuriæ atrocis ad mortem usque ex arbitrio Judicis extendi possit. Et quidni id fieri queat? cum propter delictorum quorundam immanitatem solus eorum conatus, ac si consummata essent, puniri soleat. *l. si quis. 5. l. raptores. 54. §. pœnas Cod. de Episc. &*

*Cleric. l. 1. C. de raptu. l. 1. ff. de extraordin. crimin. cum
similib. Bronchorst. Miscell. controvers. cent. 2. assert. 63.
XXII.*

ET cùm Juris certissimi sit, Judicis assertionem probare. *l. Divus. ff. de offic. presid. de illis scilicet rebus, quæ coram ipso fiunt, quæque ad ejus officium spectant. c. significav. 48. de appellat. Mascard. de probat. vol. 2. conclus. 950. n. 30.* Etenim si viro Nobili & bono, ut loquitur Gloss. *in l. Titio fundus. 73. ff. de condit. & demonstrat.* Multò magis credendum erit Judici tanquàm viro bono. *l. vir bonus. 18. ff. judic. solvi*, pro quo aliàs etiam maxima est præsumptio. *l. si quis. 2. Cod. de offic. Iudi. civil.* Ideò Judex vel Magistratus delictum se præsentem, ac pro tribunali sedente commissum absque omni ulteriore processu coërcere, & Injuriam in judicio sibi tanquàm Judici illatam vindicare potest ex eadem ratione, quòd super eo, quod gestum est in conspectu Judicis pro tribunali sedentis nulla amplius probatio requiratur, cùm de hoc Judici ut Judici satis constet. *Mynsing. Cent. 6. observ. 3.* Cessetque omnis ratio suspicionis: quia in notoriis non expedit cognoscere, vel sententiam proferre, sed exequi vel punire. *c. de manifestâ. c. manifesta. 2. q. 1. c. evidentia. 9. de accusat. l. ea quidem. 7. C. eod. Gail. 1. obs. 39. n. 3.* Nec movet quidquam, si objici in contrarium velit, Judicem hac ratione in propriâ causâ & negotio, contrà *l. nullus. 10. ff. de testib. & l. unic. C. ne quis in suâ Caus. testari* judicareque. Nam quoties Judici vel Magistratui ut Judici vel Magistratui infertur, tunc Judex vel Magistratus puniendo, non in suo, sed alieno negotio procedere, & condemnare dicitur *per text. in c. 1. de pæn. in 6. ubi Glossa in verb. pun. l. illud. 9. ubi Castrens.*

Castrens. *de appellat.* Panormit. *in c. si quis contra.* 4. n. II. & 17. *de for. compet.* Nec movet etiam, si objiciatur, quòd Judex per arbitrium suum ex affectu modum excedere, & Injuriantem nimium facile gravari possit, prout sentiunt illi, qui assertum meum tunc tantum obtinere concedunt, ubi pœna contra injuriam Magistratui illatam ordinaria & legibus definita est. Farin. *de delict. & pœn. tit. 3. q. 17. n. 44.* Isti enim opinioni consultò resisto: quia pœna injuriarum, non solum in genere, sed in specie quoque hoc casu, quo Judici vel Magistratui sunt illatæ, arbitraria est. *text. in §. in summa vers. sin autem criminaliter Inst. de injur.* ubi DD. *communiter. & text. express. in c. dilectus filius. de pœnis.* Ita ut Magistratus arbitrium suum pro ratione circumstantiarum ad pœnam quoque mortis usque extendere queat. Felin. *in c. 21. X. de accus. n. 19.* Gail. I. *obs. 30. n. 1.* Ad quid enim aliàs serviret dispositio Juris, quâ Magistratui conceditur potestas injuriam sibi illatam vindicandi, nonnè sine effectu esset? cùm tamen Reipublicæ salus requirat, nè delicta maneat Impunita. *l. ita vulneratus. ff. ad l. Aquil. l. congruit. ff. de offic. presid.* Interim tamen non facile ad pœnam mortis descendendum consulo, nisi circumstantiæ injuriam Magistratui illatam tantoperè aggravent, ut illi minus supplicium sufficere nullo modo videri queat.

XXIII.

A Judice vel Magistratu ad Parentes descendo, quibus cùm non minor à liberis inferri possit injuria atrox realis, quàm Magistratui. *l. Prator edixit. 7. §. 8. ff. de injur.* Menoch. *de arbit. Ind. quest. cent. 3. cas. 263. n. 3.* porrò non versatur apud me dubium, quin

poenâ corporis quoque afflictivâ Injuria atrocior Parentibus illata rectè vindicetur. Felin. *in d. c. 21. X. de accus. n. 10.* Tiraquell. *in tract. de Nobilit. c. 28. n. 6.* Farin. *in pract. crim. lib. 1. tit. 3. q. 17. n. 36.* Gail. *1. obs. 39. n. 1.* Idque tantò magis, quia Jus Divinum filios immorigeros & inobedientes morte vult puniri. *Deut. 21. v. 19.* Quo ipso tamen parentum arbitrio nihil ademptum existimo, quin potius ad illorum remissionem & intercessionem arbitrariè tantùm puniri possint. *l. 3. Cod. de patr. potest.* Hartman. *Pistor. observ. 168.* Quòd si verò liberi parentibus non atroces & reales, sed leviores tantùm aut verbales injurias intulerint, corporalem quandam contra sic delinquentes decernendam non dixerim, sed arbitrariam, eamque ad summum Relegationis aut carceris, in quo pane & aquâ cibentur, sufficere existimo. *p. l. 2. & 5. ff. ad l. Pompei. de parric.* Wesemb. *in parat. ff. eod. tit. n. 12. in fin.* Præsertim, quia nec injurias leviores Magistratui illatas graviori supplicio coërceri videmus. Caveant ergò sibi liberi, nè ullo modo despiciant suos parentes, memores, quòd sibi persona patris, & secundùm præceptum Divinum, etiam matris semper honesta & sancta videri debeat. *l. liberto. 9. ibique Gloss. ff. de obseq. parent. & patro. præstand.*

XXIV.

Porrò sicut civiliter vel criminaliter ordinariè ex unâquâque injuriâ agi potest ut *thesi 19.* monstravi, ita quoque Injuriarum judicio condemnatus regulariter notatur infamiâ. *l. 1. in princ. l. athletos. 4. §. fin. ff. de his, qui not. in fam. l. 5. & l. 18. Cod. eod.* Freher. *de existimat. lib. 2. c. 9. n. 25 & lib. 3. c. 9. n. 13.* nisi Judex expelsè in sententia honorem reservaverit, prout in Came-

Camerâ Imperiali plerumque fieri solet. Gail. 1. *obs.*
 65. n. 6. Blarer. *in l. diffamari. n. 3.* Quod & interdum
 jure communi fieri potest. *l. 1. §. 9. & seq. ff. de postul.*
l. si quis in princ. §. mihi. ff. de leg. 3. Felin. *in c. cum te à*
B. per allegata ibidem. Effugiet tamen reus infamiam.
 1. si conventus propter dubium litis eventum non in
 persona, sed tantum per procuratorem compareat;
 hoc enim casu in procuratorem tanquam Dominum
 litis sententia fertur, eoque nec ipse nec Dominus in-
 famiam incurrit. *text. in l. furti. §. si quis alieno. ff. de*
his, qui not. infam. Gloss. *in d. c. cum te à B.* 2. si con-
 ventus ante conclusionem in Causâ, vel si jam con-
 clusum sit, ante condemnationem persolvat æstima-
 tionem injuriæ. *per text. in l. si reus. ff. de procurator.*
 3. si transigat cum injuriato per auctoritatem Judicis.
text. in l. non damnatos & l. quid ergo. §. pœna gravior.
ff. de his, qui not. infam. 4. si pacto gratuito, nullâ datâ
 pecuniâ, Injuria ipsi ab injuriato remittatur, ut in
 subsequente. 4. parte pluribus remonstrabo. Interim
 quoad formandum libellum actionis injuriarum
 unanimem DD. opinionem amplector, quod in eò
 non minus annus atque mensis, quam locus, in quo
 Injuria facta est, exprimi debeat. Jul. Clar. *recept. sen-*
tent. lib. 5. §. Injuria. n. 5. Gail. 1. *obs.* 64. n. 1. Freher. *ad*
tract. de existimat. lib. 3. c. 8. n. 3. in tantum, ut hisce
 omissis libellus non sit validus, parte quantumvis
 non opponente. Gail. *d. obs.* 64. n. 9. Berlich. *conclus.*
pract. part. 5. conclus. 65. n. 17. Idque non tantum si
 criminaliter, sed etiam si civiliter injuriarum aga-
 tur. Berlich. *d. parte. 5. conclus. 65. n. 6. pag. 613.* Hunn.
in resolut. ad Treutl. vol. 2. disput. 30. thes. ult. qu. 49. p.
 363. Gail. *cit. loc.* tum quia injuriarum actio etiam ci-
 viliter

viliter instituta, cum infamet. *l. 1. ff. de his, qui not. infam.* criminali æquiparatur, eò quòd honorem & famam hominis concernat, cujus non minor est ratio quàm vitæ habenda. *l. justa. 9. ff. de manumis. vind. l. isti quidem. 8. §. penult. ff. quod met. Caus.* tum quia nemo cum discrimine alienæ existimationis vagari debet. *l. Prator. 7. in princ. ff. de injur. & l. Item exigit. 16. ff. de dol. mal.* Tum denique, quia si locus & tempus irrogatæ injuriæ non exprimerentur, Reo defensiones excluderentur: quia negativam loco & tempore non coarctatam probare & testes contra se productos falsitatis arguere non posset. Bart. *in l. libellorum. 3. n. 2. & in l. adita. 3. ff. de edend. Gilhaus. in Comment. de injur. & fam. libell. §. 9. n. 25. & seqq. Gail. repet. obs. 64. n. 3. & seqq.* Diem tamen Injuriam illatam in libello exprimi non necessarium arbitror, cum Mynsing. *cent. 2. obs. 40. n. 1. Berlich. d. part. 5. conclus. 65. n. 20.* Sed hoc ita si à parte non petatur, nam si Reus id exigat, dies etiam in criminali actione Injuriarum exprimi debet, ut probare possit accusatus, illo se die alibi fuisse. Bart. *in d. l. is qui certo. 9. n. 10. ff. de eo, quod cert. loc. Wesembec. in parat. ff. de accus. n. 12. Gail. d. obs. 64. n. 11.*

XXV.

Superest in hâc parte, ut & de Famoso Libello, qui vulgò Pasquillus vocatur, & de ipsius pœna meam opinionem subjungam. Cum enim gravius sit crimen, quàm Injuria verbalis vel scripta, & differat ab injuriâ scriptâ, prout consequens thesis monstrabit, idèò graviolem etiam pœnam merebitur. Pœnam igitur Pasquillo aut Famoso Libello de jure civili capitalem constituo. *l. un. Cod. de famos. libell.* Et quamvis varient opinio-

opinionēs, an hæc capitalis pœna sit intelligenda de ultimo supplicio, an verò etiam de relegatione. Attamen ego utrumque supplicium hoc sub pœna capitali intelligendum arbitror. Prius quidem, nempe mortis, Pasquillanti imponendam judico, ubi crimen in famoso libello expressum fuerit, ultimo supplicio dignum, taliter, ut si verum id esset & probaretur, reus pœnam mortis non posset effugere. Posterius verò, si crimen objectum capitale non sit, nec pœnam graviolem mereatur, ut sic pœna talionis hoc casu sibi vendicet locum, eadem animadversione diffamator coërceatur, quâ quodlibet delictum vel crimen in libello objectum veniret plectendum, si verum esset. *Gloss. in d. l. unic. C. de famos. libell. verb. capitali. ubi & Salycet. n. 3. Carol. const. art. 110.* Idque æquitate sic requirente, nè pœna gravior fiat delicto. *Levit. 19. l. ult. ff. de calum. l. sancimus. 22. C. de pœnis.* unde ordinaria pœna facillimè multis ex causis à Judice pasquillantibus mitigari, & ex generali omnium ferè locorum receptâ consuetudine plerùmque hodie mitiùs, & pro ratione omnium circumstantiarum arbitrariè tantùm pronunciarì solet, maximè ubi privatæ tantùm personæ læsæ fuerunt, latissimè *Bocer. in Comment. ad l. unic. C. de fam. libell. c. 5. n. 20. cum aliquot seqq.* ut si dolus abfuerit *Hostien. in summa x. de injur. §. quot modis fit Injuria. n. 3.* si reus antea fuerit provocatus. *Farin. prax. crim. part. 3. q. 105. n. 488.* si libellum famosum affigens pœnitentiâ ductus eundem refigat, deleatque, antequam divulgetur. *Harpr. §. injuria. 1. Inst. de iniur. n. 179. & seqq.* si delictum sponte fateatur. *Menoch. de arbit. jud. quest. cent. 3.*



cent. 3. cas. 263. n. 24. uti etiam si delictum in famoso libello impositum à pasquillante probetur, licet ad omnimodam excusationem probatio objecti criminis nil faciat. *l. 2. C. Theod. de famos. libell. Ord. crim. Carolin. art. 110.* nisi mediante ordinariâ accusatione coram Judice debito modo fiat, à quo tales extrajudiciales famosæ infestationes & diffamationes planè rejiciuntur. *l. nullus 14. C. de judais & Calicol. l. justissimos. 3. C. de offic. Rect. Provin.* Præsertim autem ob delinquentis insignem peritiam vel artificium, quo Reipub. multum prodesse possit, mitiorem arbitrariam pœnam prævalentem capitali observandam judico. *per textum express. in famosissima l. ad bestias. 31. ff. de pœnis.*

XXVI.

PRomissâ in præcedente thesi inter scriptam injuriam & Famosum Libellum differentiâ, quòd illa citra Infamiæ notam contumeliæ tantùm causâ fiat, ut si quis curvus, luscus nominetur, vel alio contumelioso nomine ludibrii causâ appelletur, hic verò ad infamiam spectet, & notabile importet delictum. *§. fin. in l. lex Cornel. & l. item apud labeonem. 15. ff. de iniur.* nec proinde omnis injuria scripta sive scriptura injuriosa est Famosus Libellus, licet hic injuria quoque sit scripta, quæ tanquàm genus speciem suam comprehendit. Unde fit, quòd etiam pro Libello Famoso actione injuriarum experiri liceat, si nempè ille, cujus fama per objectionem criminis in pasquillo sigillatur, malit agere injuriarum, quàm ex famoso libello, prout liberum ipsi est, cum semper penes ipsum stet electio, cui plura remedia competunt: *l. quod Senatusconsultum. 6. in fin. ff. de iniur. l. 7. §. si dicatur. 1. ff. eod.* tantò
minùs

minùs negari poterit: quia & ipsâ *l. lex Cornelia. s. §. se quis librum. ff. eod.* contra auctorem famosi libelli ex lege Corneliâ de injuriis agi permittitur; Cùm multos sit reperire, qui malint honoris sui ac famæ plenariam restitutionem, quàm sæveriore pœnam: licet enim Famofus Libellus boni viri famam non lædat, *in l. unic. verb. fin. C. de famos. libell.* nisi vulgi opinione aliquâ ex parte; id tamen sufficit, quia tali per solam actionem injuriarum subveniri potest, impositâ scilicet Reo *recantatione*, quæ in actione famosi libelli nullibi reperitur concessa. Aliud est in Retorsione, hanc enim contra famosum libellum adhiberi posse non concedo: quia famosus libellus talis propriè dici non potest, nisi occultato nomine fiat. Matth. Steph. & Georg. Rem. *ad d. art. 110. Const. Carolin. Wesebec. part. 1. consil. 22. n. 5.* atqui occultato nomine injuriantis non potest fieri retorsio, sed in certam aliquam personam concipi debet. Harpr. *in §. hac actio. 12. Inst. de iniur. n. 213.* Berlich. *pract. conclus. part. 5. conclus. 64. n. 33.* Idque propterea, quia in libello Injuriarum nomen injuriantis exprimi debet. Ergò etiam in libello Retorsionis, quæ in locum actionis injuriarum surrogatur.

Pars IV.

De Modis

Tollendarum Injuriarum, vel Actionis Earum.

THESIS XXVII.

EXspirat & tollitur Actio injuriarum variis modis.

Primò quidem, sicut mors naturalis omnia solvit,

F 2

ita

ita tam Injuriantis, quàm injuriati obitus perimit actionem injuriarum, hoc tamen discrimine, quòd mors Injuriantis hunc exspirationis effectum importet tam ante quàm post litis contestationem, idque ex hac ratione; quia ad vindictam tendit, vindicta autem cum moriente extinguitur *arg. l. ult. C. de revocand. donat.* Injuriati verò non, nisi ante litis contestationem *l. injuriarum 14. in princ. l. 28. ff. de iniur. §. 1. inst. de perpet. & temp. act.* quia omnes actiones, quæ morte aut tempore pereunt, semel inclusæ judicio salvæ manent. *§. non autem. vers. pœnales inst. eod. l. 164. ff. de R. I.* cùm lite semel contestatâ in bonis nostris esse incipiant *arg. l. bonor. 49. ff. de V. S.* quia litis contestatio est novatio quædam necessaria, per quam de novo contractum intelligitur, sicque efficit, ut actio pœnalis jam non ex maleficio sed ex quasi contractu oriri videatur. *l. aliam. 29. ff. de novationib.* Et consequenter tam activè, quàm passivè ad hæredes transitoria. *l. ex deposito 12. l. ex contractibus. 49. ff. de O. & A. l. 152. §. ult. ff. de R. I.* lis autem meo judicio contestatur ab actore per judicialem narrationem, etiamsi Reus nihil responderit *l. unicus. C. de lit. contest. l. fundum. 28. ff. de novat. d. l. 28. ff. de iniur. l. si insulam 84. ff. de V. O.* Præsertim si Reus, ut plerumque hodie fieri solet, subterfugia & diverticula sua quærat, moram ex morâ nectat, & sic indies litis contestationem differat. Hartm. Pistorius *lib. 1. q. 27. n. 7.* Farin. *tract. crim. q. 10. n. 57. text. in l. si cum. 10. in fin. ff. si quis caut. jud. sist.*

X XVIII.

Secundo exspirat aut tollitur Injuria, & per consequens etiam ipsa actio injuriarum dissimulatione & remissio-

remissione. Damhoud. *in prax. crim. c. 136. n. 19.* Boër. *decis. 120. n. 1.* Clar. *lib. 5. sent. §. iniuria. n. 11.* Idque verum est non solum in expressâ, sed etiam in tacitâ remissione ac dissimulatione, quâ injuriæ æque extinguuntur. *§. ult. Inst. de iniur. l. non solum. 11. §. iniuriarum. 1. ff. eod. ubi Wesembec. in paratit. n. 13.* Harpr. *in d. §. ult. n. 1 & seq.* veluti si injuriatus comedat, bibat, ludat cum injuriante, aut amicè confabuletur cum ipso *c. nec aliqua 27. q. 1.* aut dexteram ipsi det manum, eumque saluet, aliove modo familiariter & amicè cum ipso conversetur, undè remissio colligi possit. Sed hoc ita, si injuriatus hoc fecerit motu proprio, non solum honestatis causâ: nam si ambo Injurians nempe & Injuriatus ad convivium invitati essent, & positi ad unam mensam, tunc enim per ejusmodi actum non intelligitur remissa injuria, sed injuriatus præsumitur id ex quadam honestatis necessitate fecisse Schneid. *d. §. ult. n. 2. Inst. de iniur.* Interim tamen remissio injuriarum, sive expressa sive tacita fuerit, non præjudicat Magistratui, quò miuùs hic injuriam ex officio punire possit Angel. Aretin. *in tract. malefic. verb. comparent. n. 23.* Boss. *in pract. crim. tit. de iniur. n. 17. & 32.* Quia injuriatus per remissionem sibi metipsi tantum nocet ratione proprii Interesse, quod in præstatione palinodiae vel recantationis consistit, non etiam Magistratui quoad interesse publicum, quod poenarum irrogationem concernit, nec enim factum partis Judici obesse potest, imò nec sibi remittens omnimodè præjudicat: quia remissâ injuriâ damna & expensæ simul remissæ non censentur. Wesembec. *in parat. ff. de iniur. n. 13.* Myns. *cent. 4. obs. 10.* Menoch. *de præsumpt. lib. 3.*

presumpt. 114. arg. l. 7. in princ. & §. 1. ff. de condict. furt. In dubio autem per remissionem non criminalis, sed tacita tantum Civilis intelligitur Boss. *tract. crim. de injur. n. 17.* Et rancore animi remisso nihilominus adhuc salvaremanet actio *c. 29. 23. q. 4. de iniur.*

XXIX.

Tertio aboletur injuria & tollitur ipsius actio satisfactione, si nimirum solutum sit, quod injuriarum nomine peti potuit. *l. sed etsi unius. 17. §. si ante iudicem. ff. de iniur.* adeo ut etiam omnis metus simul aboleatur. *l. II. §. 1. ff. eod.* item Jurejurando, si videlicet Reus juraverit, se nihil dixisse, aut fecisse animo injuriandi. *l. lex Cornelia. §. hanc lege permittitur. & d. l. II. §. 1. ff. eod.* Gail. 2. *obs. 106. n. 5.* Pacto vel transactione. *d. l. II. §. 1. ff. eod. l. si tibi. 17. §. 1. ff. de pact.* Freher. *de existim. lib. 2. c. 9. n. 20.* Et quia hanc materiam in precedenti parte 3. thesi 24. tantum quasi per indirectum attigi, ideo ad plenioram intelligentiam hic addo, quod faciat hæc, ut ipso jure perimatur Injuriarum persecutio. *l. 6. d. l. 17. §. 1. l. si unus 27. §. pactis & §. pacta ff. de pact.* Freher. *d. lib. 2. c. 9. n. 20.* hocque casu injuria remissa in perpetuum remissa sit, adeo, ut non reviviscat, etiam si altera pars non adimpleat promissa *d. l. 27. §. pactus. l. auxilium 37. in princ. ff. de minorib.* quia actio injuriarum semel extincta reviviscere non potest, etiam si Actor vel Reus convenerit, ut reviviscat. ratio est: quia actio per transactionem ipso jure perimitur, ut prius posui, ergo facta unius vel alterius restaurari non potest, cum actio illa sit Jure Publico introducta, adeoque privatorum conventioni non subjecta *l. jus publicum 35. ff. de pact.* Ad quæ tamen omnia sciri volo, quod Injuri-
rians

rians de injuriâ alteri illatâ absque infamiâ notâ non nisi gratuito transigere possit *l. furti. 6. §. pactus q. 3. ff. de his qui not. infam. l. non damnato 18. C. ex quib. Caus. Infam. irrog.* Quia, qui datâ pecuniâ super injuriâ alteri illatâ transigit, crimen fateri censetur *l. quoniam. 5. ff. de his, qui not. infam.* Confessus autem pro convicto & condemnato habetur *l. 1. 3. 6. & tot. tit. ff. de iniur. l. si pignore 54. §. fin. ff. de furtis. & sic: incidit in scyllam, qui vult vitare charybdim.* liberatus tamen infamiâ simul manebit, (ut in præcedente parte 3. thes. 19 dixi) si auctoritate Magistratûs transigat: quia auctoritas Magistratûs ipsum omninò excusat. *Gail. 2. obs. 120. n. 14. Gilhaus. in comment. de iniur. & famos. libell. §. 11. n. 16.* Ad quæ porrò notandum, supervenientem ex intervallo Judicis ratificationem transactionis non gratuitæ etiam non posse efficere, ut dans pecunias transactione promissas non videatur crimen confessus fuisse: quia quod semel factum, infectum fieri nequit. *l. 12. §. facti. ff. de capti. & postlim. revers. l. 31. ff. de R. I.* Pro quarum conclusione tamen denuò adhuc sciri desidero, quòd, perimatur licèt transactione ipsa injuriarum actio, maneat tamen ob impensas, interesse, & damnum datum actio *L. Aquiliæ*: quia Contumelia in hâc materiâ longè differt à damno injuriâ dato, adeoque diversa est contumeliæ & damni dati æstimatio *l. 1. in princ. l. Prator edixit. 7. §. 1. vers. quid ergò de lege. l. item apud Labeonem. 15. §. si quis servo 46. ff. de iniur. Covar. var. resolut. c. 10. n. 6. vers. quarto eodem Iur. Gail. 1. de Arrest. Imp. c. 14. n. 7.*



XXX.

Verum ex prædictis exsurgit dubium, *an & Tutor vel Curator Injuriam Pupillo vel minori illatam pacto vel transactione absq. decreto remittere queat?* ajo cum communi; posse, & quidem usque ad exclusionem restitutionis in integrum. 1. quia pupillus vel minor per remissionem injuriæ sibi factæ non læditur, quia injuriarum actio ad vindictam tendit, & in bonis nostris esse non censetur. 2. quia Pupillus vel Minor per similem remissionem non solum variis litis molestiis & expensis liberatur, sed insuper etiam ipsi injuriantis amicitia reconciliatur, quod non est damnosum Pupillo. *arg. l. creditor 60. §. 1. ff. mandati.* 3. quia injuriarum actio est pœnalis, & ad vindictam tendit, adeoque omnibus modis restringenda. *l. auxilium. 37. ff. de minorib. c. odia. 15. de R. I. in 6.* Dixi autem notanter: *id Pupillo vel Minori non esse damnosum & c.* Quia secus sentiendum foret, si remissio talis Pupillo vel Minori damnosa esset, & cum magno dedecore ipsius vel familiæ ejus conjuncta, veluti si injuriâ fuisset atroci affectus, ita, ut periculum infamiæ incurreret, veluti si parricida, spurius, latro nuncuparetur.

XXXI.

Ultimus denique modus tollendæ & abolendæ actionis injuriarum est Præscriptio annalis & longissimi temporis, 30. scilicet annorum. Ita quidem, ut injuriam realem passus intra. 30. annos, injuriatus autem verbaliter *intra annum utilem* actionem contra injuriantem instituere debeat, ad effectum, ut, si terminum præterlabi patitur, jus agendi amittat. *Gail. 2. obs. 105. Myn-*

105. Mynsing. *cent 5. obs. 7.* unde quoto tempore pro Injuriâ scriptâ competens actio præscribatur Dd. opiniones discrepant. Quidam enim autumant actionem criminaliter instituendam per lapsum unius anni extinguï, Civilem vero perpetuò vel 30. annis durare. Balb. *in tract. de præscript. part 4. q. 4. Principalis q. 1. n. 3.* Clar. *lib. 5. sentent. §. Injuria n. 9. ubi plures allegat.* Alii arbitrantur, actionem pro injuriâ scriptâ esse perpetuam, per rationem: quòd scriptura habeat actum permanentem. Zas. *in l. cum lex ff. de ll. n. 4.* Gail. *d. lib. 2. obs. 104.* Quidam denuò tuentur, injuriam scriptam injuriæ verbis illatæ similem esse, ideoque ejus actionem uno anno exspirare. Ita Dd. Wesembec. *in parat. ff. de iniur. n. 19. vers. ex quo inferri posse videtur.* Idem Wesembec. *consil. part. 1. cons. 22. n. 7.* Fachin. *Controv. Jur. lib. 9. c. 9.* Georg. Everhardi *vol. 1. consil. 40.* ubi pro hac opinione plurimos adducit, aitque in Judicio Camerae. 13. Jan. 1540. ita judicatum fuisse. Quam sententiam, quia supra part. 1. thesi 13. eidem & ego assensi, hîc confirmo: Tum quia & scripta injuria verbalis est injuria, ut ibidem dixi, & fatentur omnes, cujus actio tantùm est annalis. *l. si non convicii §. C. de iniur.* tum, quia & scriptæ & pictæ injuriæ actio est Prætoria, & ideo annalis: quia actiones Prætorix sunt annales ut constat ex princ. *Inst. de perpet. & tempor. act.* tum etiam: quia in re odiosâ annales actiones perpetuas facere turpe est. Fachin. *contro. jur. d. lib. 9. c. 9.* an verò actio pro injuria Bocer. *disput. part. 1. clas. 4. disput. 4. thes. 73.* per famosum libellum seu pasquillum illata sit annalis, etiam quæritur? affirmo, secutus Georg.

G

Ever-

Everhardi. d. vol. 1. consil. 40. n. 35. & alios prius allegatos.

Atque hæc pro instituto, meâque imbecillis ingenii qualitate sufficiant. Augebuntur tamen in futurum.

Ad Majorem Dei Gloriam & boni Publici salutem.



Nobilissimo, Præcellenti & Doctissimo Domino Defendenti Commensali & amico suo Honorandissimo.

Ferale nobis *justitium* tulit
 Nondum tremendus Mars, neq; bellica
 Nos arma straverunt, sed ecce
 Nostra *Themis* potius resurgit
 Ambita palmis, dum Generosior
 Nos *Hildebrandus*, vix reparabiles
 Offensi honoris dignitates
 Jure docet, bene vindicandas,
 Quî *verba, gestus, facta* hominis bonam
 Injuriosis commaculent notis
 Famam, retorquerique possint
 Cuncta, modo meliore tractat.

Non



Non plura dico, nam mea carmina
 Tantos honores non pariunt ei,
 Quantos meretur tam perito
 Nobilis ingenii labore.
 Hoc addo: Vivat tempora Nestoris,
 Suæque fortis conterat invidos,
 Et quicquid obstabit salutis
 Laurigero superet triumpho.

*Ita vovet
 Pro collato in se opponentis
 honore*

Joannes Joseph Joner
 Collmar. Alsata J.U.S.

HILDEBRAND in sine tuum jam claruit olim
 In Musis NOMEN, non sine laude sui.
 Grande decusque sibi meruit scriptis, quibus ipsum
 Præfixumque sui dememinisse vetat.
 At virtute tuâ præclarâ, ac scire tuo, quo
 Anteis haud paucis, grandius *augmen* habet.
 Gratulor, ac posthac ut per te augescere pergat
 NOMINIS eximii gloria parta precor.

*Nobilissimo Dn. Candidato Fautori
 & amico suo honoratissimo pauca
 hæc apponere voluit*

Joh. Christophorus Rosenzweig/
 L.L. Stud.

Eidem

*Eidem Nobilissimo Domino Defendenti
convictori & amico suo plurimum
colendo.*

JURIS in immensum pelagus qui *provide* mittis
Juridicam intrepido pectore *nauta* ratem,
Ito; nec infames scopulos, nec dira charybdis
Ora, nec *invidia livida monstra* time.
Ito; Inter fluctus JURIS tibi nunc Dea ponti
Non faveat Tethys, sed THEMIS alma. Vale.


Celeusma

Joannis Francisci Joner
Collm. Alf. J. Stud.

F I N I S.








ULB Halle
006 681 956

3



V077





B.I.G.

Farbkarte #13

INAUGURALIS
E O,
Civili Rom.

24

1689, 2.

ontumeliosarum
stum est.

itio ac Præside
Auctoritate
imi, in Illustri ac
sium Universitate,
rdinis.

Jure Honori-
gis Doctoralibus
M ritè obtinendis.
itorum Examine

HILDEBRANDT,
goius.
horis solitis.
Otober.
XXXIX.

ATI,
Æ DOLHOPFE.

1618.

